

1571 bat, quo imperatoris munera intrepidus obibat: quæ omnia ingentem illi auctoritatem apud milites pepererant.

Interea iis freti, de quo diximus, angustiis in altum elata classis, directa acie instruitur; tantoque singulæ triremes intervallo sejunguntur, quanto eodem altera spatio excipi posset, quo facilius singulæ sese inferrent, referrent, ac circumflesterent: ea, qua diximus, forma, nullo navigiorum discrimine, Venetis, Hispanisque triremibus intertextis, ordinata agmina hostes præstolabantur. Ceterum Halis, classis turcicæ imperator, scopulorum objectu nondum sinistro cornu inspecto, triremium numero inferiores nostros ratus, Auriāmque, qui, ut reliquæ classi sese explicandi locum daret, in altum evehebatur, cernens; initium fugæ fieri arbitratus; adornata vexillis classe, ingenti timpanorum, buccinarum, ac crotalorum strepitu, inconditoque, ac truci remigum & militum, ut mos gentis est, clamore, & ululatu alacer ferrebatur. Sed fere ad tormenti jactum illatus, instructas acies, foederatos ad certamen ineundum expeditos, terribilem majorum triremium speciem, præter spem, intuitus, haud parum commotus fertur. Sed cum declinandi certaminis locus non esset, intercidente vento, contractis velis, remisso cursu provehitur.

*Prelium
inter Chris-
tianos &
Turcas ad
Echinadas.*

Initium pugnæ a galeatiis factum: primus Franciscus Doudus, earum præfectus, contorqueri in hostes grandia tormenta jubet; atque illico immanes globi in hostilem triremem impacti in flammis grassantur. Ab Ambrosio Bragadeno altera eadem vi deprimitur; nec minori impetu Antonius Bragadenus in oppositam classi aciem sævissimas machinas displodit. Idem ab aliis galeatarum præfectis efficitur. Inopinata atque ingenti procella territi hostes, intento remigio galeatias prætervehi, atque earum certissimis ictibus, qui a fronte, a lateribus, a tergo imminebant, se se eripere nituntur. In ea contentione ac nixu, impari rimigum conatu, semel perturbata Turcarum agmina, ob hærentes a tergo galeatias, redigi in ordinem nequivere. Quæ res eis exitio fuit, cum perturbati certamen inire cogerentur. Extemplo ingens hinc atque inde majorum, minorumque tormentorum excussa vis horribili boatu circumiectis montibus marique resultantibus, adeo intonuit

*Turcica
classis a ga-
leatiis per-
turbata.*

at-